Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

Melanchthon, Philipp
Aristoteles

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Comparatio vtrvm sit maius malum iniurium facere, an iniuriam pati

urn:nbn:de:bsz:31-106587

Visual Library

retur iniuriam eſſe, ſi quis uolens damnum acciperet.

Præterea nemo eſt iniuſtus, niſi lędat in aliqua ſpecie iniuriarum. Iam nemo dicitur mœchus cũ uxore ſua conſuetudinẽ habens, nec graſſator ſi ſibi parietes perfodiat, nec fur ſi ſuas res auferat. Deniq; ſibi iniuriam facere, euertitur per ea quę diximus, quod iniuria nõ ſit appellanda, quã quis ſponte accipit.

COMPARATIO VTRVM *ſit maius malum iniuriam facere, an iniuriam pati.*

Conſtat autẽ utrunq; malum eſſe iniuriam facere ac pati: quorum alterum plus eſt, quam in medio eſſe cõuenit: alterum minus eſt, ſicut in medicina uitioſa ſunt, quæ aut copia, aut defectu corrumpunt ſanitatem, quæ medium tenet. Et in gymnaſtica uitioſa ſunt exercitia nimia, aut immodica, quæ bonũ habitum, qui quaſi medium tenet, corrumpunt.

Verum

Verum deterius eſt iniuriam facere. Nam facere iniuriam uitioſum eſt, et aut uniuerſa turpitudo aut prope: interdum enim ſponte nocet aliquis & tamen non eſt iniuſtus. Sed iniuria affici nō eſt uitioſum & iniuſtū, quare minus malum eſt iniuriam pati. Cæterum per accidens fieri poteſt ut ſit plus mali. Sed id quod per accidens fit, nihil ad artes pertinet. Sicut pleuritis maior morbus eſt quā offenſio pedis. At fieri poteſt, ut offenſio pedis plus habeat mali, ut ſi quis lapſus caperetur, atq; interficeretur ab hoſtibus.

QVOMODO ALIQVID IVſtum dicatur erga noſipſos.

Iuſtum dicitur aduerſus aliū, ſed metaphorice, & ſimilitudine quadā dici poteſt, non alicui aduerſus ſeſe, ſed erga ſuos quoſdam, uidelicet herile iuſtum aut œconomicum. Ad hunc modum & iuſtū quoddam eſt rationis aduerſus partes animę, quę